



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Originvm Monasticarvm Libri IV.

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1620

Cap. XX. De Sanctis ac Beatis ex ordine Canonorum Regularium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11249

mus Abbas, an. 1146. hanc vitam cum meliore commutavit.

B. Richardus Anglicus, Canonicus Arensbergensis in Westphalia: de quo Cæsarius dist. 6. cap. 100. & Molanus 30. Dec.

B. Rosnata, Bohemicè Hroznata, ex Principe Bohemiæ, Canonicus ordinis Præmonstratensis, Teplensis & Chotieffoviensis monasteriorum, in diœcesi Pragensi, fundator, martyr occubuit.

B. Siardus, Horti Mariani in Frisia Abbas quintus, annis triginta sex in regimine laudabiliter exactis, an. 1230. ex hac vita ad æternam transijt.

De singulis plura vide in Chronici nostri Præmonstratensis Editione secunda, quæ est auctior.

CAPVT XX.

De Sanctis ac Beatis ex ordine Canonicorum Regularium.

um.

DE primorum sæculorum Sanctis toto orbe notis haut visum hic tractare, sed de illustribus aliquot posterioris ævi hominibus, qui Canonicos inter Regulares floruerunt, aut illud institutum amplexi sunt, quædam subiiciam.

De S.

*De S. Maria Ogniacensi, & B. Iacobo Vi-
triano Card. & Episcopo
Aconensi.*

Maria Niuellis Brabantiae opido honestis parentibus orta, ab ineunte aetate futurae sanctitatis prodidit indicia non pauca, inter cetera assidue orationis exercitium: in quo frequenter non somno, sed Angelicis choris sopita pernoctabat. Anno quartodecimo aetatis a parentibus contra voluntatem nuptui tradita, sponsum ita castitatis ac pietatis studio incendit, ut eum deinceps in sui casti propositi & vitae institutione coadiutorem habere meruerit ac socium. Mutuo enim consensu, facultatibus in pauperes erogatis, in vicum opido vicinum sese conferunt, leprosis ministraturi. Tanta in aegrotos commiseratione afficiebatur, ut apud eos integras quandoque noctes duxerit insomnes.

Vnde & eius merita plerisque corpore, pluribus autem animo male affectis medebantur. Contra blasphemiae autem & desperationis spiritum gratia eminebat singulari. Ut verò orationum eius efficaciam experti sunt homines ad subsidium; ita & daemones ad tormentum. Eorum enim laqueos alij detegebat, & quos interdum precibus non poterat, addito ieiunio vincebat.

Porro

Porro abstinentia erat admirabili, carniâ & vini abstemia, solas herbas & legumina, rarissimè pisciculos, & maiore anni parte panem & aquam, semel in die circa vesperum eaque parcissimè, ad victum adhibebat. Imò plures dies, vltra naturæ vires, inedia consumebat, postremo atque primo ieiunij die nihil feciùs labori apta. Ieiunio autem ad corporis castigationem alia pietatis opera addebat, magis admiranda quàm imitanda, pari charitate, pari vigilantia, pari solitudine & silentio: cuius adeò studiosa fuit, vt eo se illud vel maximè impetrasse diuinitus cognouerit, quòd ad coelû citra purgatorij pœnas migraret.

Lacrymarum dono excelluit, idque alijs impetrauit, prophetiæ insuper & septemplex Spiritus dono illustris. At hominum, qui ad eam confluebant, frequentiam exosa, in *Ogniacum* locum sibi antea ignotum, sed diuinitus ostensum migravit. Trimestre intervalum, vndecim refectionibus ijsque parcissimis, postremum dimensa est: quinquaginta verò & tres vltimos dies solû Christi corpus esuriens cum ceterorum nausea protraxit. Tandem morti proxima, morbo, quo afflicta fuerat, à Domino subleuata, quasi miseriarum gurgite emergens, inter sanctos illos, quibus sana familiaris fuerat, inter virginem Deiparam, cuius monitu sacrum oleum petijt & accepit, inter ipsum

ipsum quoque Christum, qui victoriæ signum ad eius pedes fixit, in cantica erupit, viso pariter, sed fugato communi generis humani hoste, & quasi victoriam canens in Christi adstantis manus cantato *Alleluia*, & gratijs Deo Patri actis, spiritum commendavit & reddidit, ipsa Dominici Præcursoris vigilia, anno salutis supramillesimum ducentesimo ter-
 tiodecimo: ætatis verò circiter tricesimo
 sexto.

An. 1213

Ita legitur in officijs proprijs SS. diœcesis Namurcensis, anno 1619. ibidem editis; iussu Ioannis Dauuini Episcopi Namurcensis.

Ceterum historia vitæ B. Mariæ Ogniacensis libris duobus scripta est à B. *Jacobo Vitriaco* Cardinale & Episcopo Aconensi, qui sanctæ virgini familiarissimus fuit: extantque apud Surium typis editi. His duobus libris tertium adiecit Canonicus quidam Regularis Cantipratensis, qui manuscriptus Ogniaci existat.

Iacuit autem venerandum corpus B. Mariæ sepultum in templo monasterij Ogniacensis (quod situm est ad Sabim fl. in Gallobrabantia, inter Niuellam & Namurcum opida, pari penè interuallo) vsque ad annum Christi millesimum sexcentessimum octauum, quo *Franciscus Buis-*
sererus tunc Namurcensis Episcopus, post
 Came-

An. 1608

Cameracensis Archiepiscopus, illud è terra leuauit, & capsâ decenter ornata includit, adstantibus *Floressiæ* & *S. Foillani* Abbatibus, ex ordine Præmonstratensi.

An. 1192

Dicti monasterij fundamenta circa annu Domini 1192. locauit *Aegidius à VValecuria*, eiusdem fundator ac primus Antistes. Templum consecrauit *B. Iacobus Vitriacus*, Episcopus Aconensis, illius olim loci alumnus; vt in vita *B. Mariæ Ogniacensis* lib. 3. narratur. Historiam dicti monasterij Ogniacensis scripsit *Franciscus Moschus*, Niuellensis, Canonicus Seclinienfis, Duaci anno 1598. editam.

Vita *B. Iacobi Vitriaci* ab *Andrea Hoie* Eloquentiæ apud Duacenses Professore scripta est, & edita ibidem cum *Vitriaci* historia Orientali & Occidentali.

*De S. Guilielmo Abbate Eschilensi
in Dania.*

6. Apr.

S Guilielmus primus Abbas fuit cœnobij Canonorum Regularium, siti in *Eschilensi* insula, & diœcesi *Roschildensi* apud *Danos*, ad id munus *Parisijs* euocatus ex *S. Genoueuæ* monasterio. Obijt autem anno 1224. Romano Martyrologio ad diem sextum Aprilis adscriptus. Vita eius exstat apud *Surium*

tom.2.

*De V. Ioanne Rusbro-
quio.*

Secundo ferè lapide à Bruxella, Belgarum vrbe regia, sita est *Viridis Vallis*, Canonico- rum regularium cœnobium illustre. Hu- ius loci primus Prior ac veluti fundator fuit Venerabilis *Ioannes Rusbroquius*, cuius scripta ascetica piorum manibus teruntur. Obijt autem plenus bonorum operum postridie Kalen. Decembris: visiturque etiamnum tu- mulus eius ibidem.

De Venerabili Thoma Kempensi. 25. Iulij.

In diœcesi Dauentriensi, apud Germanos Inferiores, præclarum olim fuit cœno- bium nomine *VVindeshemium*, à quo Con- gregatio seu Capitulum *VVindeshemense*, Canonico- rum regularium, nomen accepit, octoginta amplius per Germaniam Superio- rem atque Inferiorem monasteria comple- ctens.

Inter alia celebre fuit cœnobium *Montis S. Agnetis*, apud Suollam d. Dauentriensis opidum, anno 1398. fundatum, cuius primus Prior fuit *Thomas à Kempis*. Quantæ pieta- tis ac deuotionis iste vir fuerit, loquitur

Bb

eius

eius de Imitatione Christi libellus (vt de alijs scriptis nihil dicam) quem plerisque nostris ac superioris sæculi viris sanctissimis, S. *Carolo Borromeo*, B. *Ignatio Loiola*, B. *Philippo Nerio*, alijsque per familiarem fuisse constat.

Ceterum Thomas natus est Kempis, opido modico diœcesis Coloniensis: unde cognomen ei quoque adhæsit. Obijt anno ætatis suæ nonagesimo secundo partæ per Christum salutis millesimo quadringentesimo septuagesimo primo, die 25. Iulij. Vitæ eius scripsere Ioannes Buschius Synchronus, Iudocus Badius, & Heribertus Rosvveidus, quos consule sub finem dicti libelli de Imitatione Christi typis Plantinianis editi.

Idem Buschius scripsit librum de Origine monasterij VVindesimensis, & alterum De viris Illustribus Capituli VVindesimensis, quos, vt spero, breui idem Rosvveidus luce publica donabit.

VVindesimense porrò monasterium à Calvinistis excisum iacet: durat tamen hodieque Capitulum VVindesimense, cuius supremus Antistes nunc residet Coloniæ in monasterio Corporis Christi.

De beatis aliquot martyribus, ac presbyteris, ex Ord. Canonicorum regularium, Brilæ anno 1572. à Calvinistis laqueo

laqueo suspensis , vide Historiam Martyrum Gorcomiensium , à Guilielmo Eftio Cancellario Duacensi editam.

CAPVT XXI.

De ordine monachorum Charitatis

B. Mariæ, sub regula S.

Augustini militan-

tium.

H Vitis ordinis caput est monasterium *Boucheraumontanum*, in diœcesi Catalaunensi, secundo lapide à Iainvilla opido situm. Quod quidem monasterium seu Hospitale, titulo Charitatis B. Mariæ in gratiam infirmorum ac pauperum, *Guido Iainvillanus*, miles & Dominus burgi S. Georgij suo in fundo construxit atque dotauit, Bonifacio VIII. Papa primùm, pòst Clemente sexto anno Christi 1347. approbantibus.

Est autem Iainvilla opidum in Campania regni Galliæ prouincia situm , Principatus titulo nobile, spectatque ad gentem hodie Lotharingicam seu Guisiam.

Catalogus monasteriorum Ord. Charitatis B. Mariæ.

Domus Boucheraumontana S. Ludouici, in diœcesi Catalaunensi.

B b 2

Do-